

Sextus Alexander vacua hic excludor ab urna:  
Corpus abest; ubi est quæris? ubi est anima?  
Illa etiam nusquam est: cœlum hanc fugit; Eacus  
horret,  
Cui locus in pœnas non satis ullus erit.

DANTES III.

*Aliud.*

Peregrine: memento ne transeas hoc sepulcrum  
Sine execratione. Alexandri sexti pontificis est.  
48 Id age, et expiatuſ ex urbe discedes.

*Exemplum litterarum illustrissimi Domini Veneti ad sacrum Collegium reverendissimorum dominorum cardinalium, in morte Alexandri VI pontificis maximi.*

Doluimus certe, ut par est, obitum pontificiaæ sanctitatis; dolere enim dominicum gregem convenit subtalo pastore. Verum, quoniam ita fert cogitque humanarum rerum conditio et inevitabilis necessitas, æquum pariter est Divinae dispositioni acquiescere, neque ipsius imperscrutabili judicio reluctari, cum ea lege natū sumus, ut quandocumque Altissimo omnium conditori videatur, naturæ debitum persolvamus. Hoc nos plurimum consolatur, quod in isto sacratissimo Collegio tot amplissimos patres conspicimus religione, prudentia et bonitate præstantes, ut in maximam spem erigantur videndi propediem successorem, qui jure, merito, cum omnium Christi fidelium comprobatione vestraque laude singulari ac sacrosanctæ istius sedis gratia, Domini nostri Jesu Christi vicarius appellari possit. Quoniam vero hoc est præcipuum desiderium nostrum nostrisque senatus, majorum nostrorum vestigia imitantes, non alienum ab officio nostro existimavimus, in his rerum ac temporum angustiis et difficillimis conditionibus, has nostras breves admodum dare ad reverendissimas dominationes vestrarum, quas maiorem in modum toto cordis affectu hortamur oramusque, ut Deum tantummodo præ oculis habentes, sicuti eas facturas non dubitamus, et quacumque animi perturbatione seposita, habitaque dumtaxat rationem ad honorem Dei et istius sanctissimæ sedis, velint, eurent et studeant, Spiritu Sancto cooperante, eum in futurum pontificem diligere, qui verbo, opere et exemplo, supremæ istæ dignitatæ ac tanto regimini dignus sit et idoneus, quique labantis cristianæ reipublicæ præcipuam curam gerat, certissime persuadentes nobis, quod libera erunt reverendissimarum domi-

nationum vestrarum vota, voluntaria electio omni prorsus vi ac suspicione carens, id modo unite et concorditer agatis. Ad quod omnem opem et operam nostram apposuimus sedulo appositurique sumus, ut veros decet catholicos et istius sanctæ sedis devotissimos cultores.

Data in nostro ducali palatio, die 23 augusti 1503.

*A tergo:* Reverendissimis in Christo patribus dominis sacri cetui cardinalium dignissimis. 49

*Exemplum aliarum litterarum ad Sacrum Collegium reverendissimorum dominorum cardinalium suprascriptarum.*

Qualis esset mens et animus ac desiderium nostrum in futura creatione summi pontificis, ut rite et canonice fieret, aperte credimus proximis litteris nostris ad reverendissimas dominationes vestrarum datis demonstrasse; sed id adhuc apertius declararunt verba et effectuales operationes istius oratoris nostri in executionem litterarum et mandatorum nostrorum. Molestissime quidem prius intellexeramus impedimenta quæ libertati ecclesiasticae et liberæ voluntati vestræ adversari videbantur, quominus, remota vi atque suspitione, huic electioni incumbere possetis; licet, habita recenti notitia de discessu ex urbe ducis valentinensis et copiarum suarum, laudavimus primum ipsius obedientiam, et adducti fuimus in spem maximam, vel potius certitudinem, omnia legitime et quiete ac pacifice successura, cum ingenti omnium reverendissimarum dominationum vestrarum commendatione, ac universalis commodo totius reipublicæ cristianæ, quam, si securus eveniret, quod absit, in summa confusione et discrimine constitutam conspiceremus. Gratulandum itaque præsentibus litteris nostris duximus, reverendissimis dom. vestrīs, quas, pro nostro naturali majorumque nostrorum instituto ac proposito iterum alque iterum hortamur, enixeque et instantissime oramus et precamur, velint sese excitare ad hanc novam creationem summi pontificis, cum omni sinceritate timoreque ac reverentia Dei, cuius causam agitis faciendam. Meminerunt reverendissimæ dominationes vestrarum præsentium temporum ac rerum occurrentia; ponant sibi ante oculos bona innumera quæ ex libera synecra et canonica electione procul dubio sunt expectanda: rursus considerent mala, perturbationes, scandala et pericula quæ cristianæ religioni jam jam imminere timendum est,